

Redazione originale in copia presso  
SANUTO XVI, 50<sup>1</sup>.

Leo Papa X. Dilecte fili etc.<sup>2</sup>

Postquam<sup>3</sup> Deus<sup>4</sup> Maximus statuit felicis recordationis Iulium secundum Romanum pontificem ex hoc laborioso vitae mortalis curriculo ad illam beatissimam piorum sedem et patriam atque ad se unde venerat revocare, ille autem rebus omnibus quae ad proxime obituros pertinent sancte compositis, ad extremum unctus de<sup>5</sup> vita placide constanterque decessisset, quod quidem die XXI februarii fuit, Nos, qui tunc cardinalem gerebamus, atque coeteri<sup>6</sup> ex eodem collegio fratres, cum eius funeri exequisque celebrandis statutum tempus dedissemus, Sancti Spiritus aura et nostri Salvatoris illuminatione praecibus omnibus invocata in unum convenimus conclave, quae fecimus ut futurum pontificem de more crearemus. Itaque, quemadmodum Illi placuit, qui Petrum elegit, ut Sui Vicarium in terris gereret, cuius deinceps munus<sup>7</sup> reliqui summi pontifices gesserunt,<sup>8</sup> omnium cardinalium vota, omnes ad unum sententiae, nos in eius locum die XI mensis martii elegerunt<sup>9</sup> et summum pontificem creaverunt. Quod nobilitati tuae significandum per nostras<sup>10</sup> litteras tuimus,<sup>11</sup> te atque rempublicam tuam magno amore complexi sumus, a paternae caritatis affectu atque officio<sup>12</sup> post haec<sup>13</sup> plane non discessuros, sed etiam, ut cogitares, pro tua in nos quidem adhuc omni tempore, in sedem autem apostolicam cum spe<sup>14</sup> alias tum vero proxime bene cognita illustri singularique pietate ac observantia, confidere nos te senatumque illum<sup>15</sup> tuum, qui gravissimum<sup>16</sup> semper est habitus, omnes vestros<sup>17</sup> cogitatus in Domini semita dirigen tes, præterita vestra laudabilia officia<sup>18</sup> atque studia etiam superatos<sup>19</sup> effecturosque quantum in vobis erit, ut et huius almae sedis, reverentia dignitasque augeatur et fessi iam bellis omnium qui recte<sup>20</sup> sentiunt animi respirare tandem et quietis ac securitatis tempora sperare atque aspicere possint, quod quid honestius quidve utilius<sup>21</sup> tentandum conandumque abste<sup>22</sup> suscipiatur, non facile reperies aut in quo plus a Deo gratia plus ab hominibus<sup>23</sup> commendationesque<sup>24</sup> promerere.<sup>25</sup>

Datum Romae<sup>26</sup> apud s. Petrum sub anulo piscatoris die 14 martii 1513, ante nostram<sup>26</sup> coronationem. Petrum Bembus.<sup>26</sup>

(A tergo): Dilecto filio nobili viro Leonardo Loredano duci Venetiarum.<sup>26</sup>

### Leone X al doge

Prima redazione del *Cod. Vatic.*  
Duci Venetiarum.

Cum Iulius secundus pontifex maximus quem quidem ex hac laboriosa hominum peregrinatione ad illam beatissimam piorum patriam coelum ad se unde venerat revocare Deus Opt. Max. constituerat rebus omnibus quae ad proxime obituros pertinent sancte compositis, ad extremum unctus nono cal. mart. placide constanterque decessisset: ego, qui tum cardinalem gerebam caeterique ex eodem collegio fratres eius funeri more maiorum celebrando praestitutum tempus cum dedissemus, flantis de coelo favoris auram suppliciter precati quae coepita nostra cogitationes secundaret, unum in locum in Vaticano convenimus conclavimque fecimus ut novum pontificem de more legeremus. Itaque quemadmodum illi placuit, qui Petrum legit, ut suum vicarium in terris gereret, cuius deinceps vicem reliqui summi pontifices gereremus, omnium cardinalium suffragia me in demortui locum ad diem quintum idus martias legerunt et summum pontificem creaverunt; quam quidem ego creationem meam tibi significare his literis volui non solum ut scires me qui profecto quamdiu inter cardinales fui te remque publicam tuam magno amore sum complexus a paterni animi benevolentia atque officio posthae plane non discessuram, sed etiam ut cogitares pro tua in me certe adhuc quidem omni tempore, in rempublicam autem cum saepe alias tum vero proxime bene cognita illustri singularique pietate confidere nos te senatumque istum tuum, qui gravissimus semper est habitus, omnes vestras cogitationis nos pacis ad nomen signumque convertentes præterita vestra laudabilia officia atque studia etiam superatos effecturosque quantum in vobis erit ut huius reipublicae reverentia dignitasque augeatur et fessi iam bellis omnium qui recte sentiunt animi respirare et quietis ac securitatis tempora sperare atque aspirare aliquando tandem possint: quod quid honestius, quidve utilius abste tentandum conandumque suscipiatur non facile reperies aut in quo plus tibi a Deo gratiae, plus ab hominibus verae laudis atque gloriae parias.

Dat. prid. id. martias MDXIII ante coronat. Roma [sic].

<sup>1</sup> Le varianti del *Cod. Ambros.* sono indicate nelle note con A. — <sup>2</sup>A: Duci Venetiarum. — <sup>3</sup>A: Posteaquam. — <sup>4</sup>A: Optimus Max. — <sup>5</sup>A: e. — <sup>6</sup>A: caeteri. — <sup>7</sup>A: vicem. — <sup>8</sup>A: gereremus. — <sup>9</sup>A: legerunt. — <sup>10</sup>Manca in A. — <sup>11</sup>duximus, non solum ut seires nos, qui profecto quamdiu inter cardinales fulmis. — <sup>12</sup>A: officio. — <sup>13</sup>A: hac. — <sup>14</sup>A: soepe. — <sup>15</sup>A: istum. — <sup>16</sup>A: gravissimum. — <sup>17</sup>A: nostros. — <sup>18</sup>A: officia. — <sup>19</sup>A: superatos. — <sup>20</sup>Qui in A segue: abs te. — <sup>21</sup>manca in A. — <sup>22</sup>Qui in A segue: laudis. — <sup>23</sup>A: commendationisque. — <sup>24</sup>A: promereare. — <sup>25</sup>Apud — piscatoris manca in A. — <sup>26</sup>manca in A.